



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 10. Animadversiones in schismaticos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

de re litigandi occasionem præbuere. Sæcul. XIII.  
A.C. 1277.  
 Tum loquitur de baptismo, de pœnitentia, de flammis piacularibus, ac de operibus bonis pro mortuis. Agnoscit septem Sacramenta; confirmationem, ab Episcopis per impositionem manuum & sanctum Chrisma, sed & a Sacerdotibus apud Græcos conferri solitam; extremam unctionem secundum doctrinam Apostoli S. Jacobi; Eucharistiam, seu ex pane azymo pro more Ecclesiæ Romanæ, seu ex pane fermentato pro consuetudine Græcorum salva transformatione consecratam; Sacramenta Ordinis, & matrimonii, quod ter aut sæpius iterari queat. Hæc epistola, sicut imperatoria data est mense Aprili anno 1277.

§. X.

*Animadversiones in schismaticis.*

Tribus post mensibus Patriarcha Vetus litteras edidit, in quibus ait: Notum vobis facimus, in concilio Constantinopolim convocato ad examen Rayn. n. 48.  
Conc. p. 1037 schismatis dudum Ecclesiam Latinam inter ac Græcam exorti a nobis anathemate percussos esse omnes illos, qui sanctam Ecclesiam Romanam, cæterarum Ecclesiarum omnium matrem caputque, ac fidei orthodoxæ Magistram

Sæcul. XIII.  
A. C. 1277.  
ejusque Pontificem Maximum omnium Christianorum, seu Diaconi, seu Sacerdotes, seu Episcopi, & cujuscunque dignitatis essent, primum pastorem esse non agnoscerent. Proscripsimus etiam reliquos omnes schismaticos, sive dignitate senatoria, sive imperatoria polleant, seu qualiscunque status sint; & cum eis Nicephorum Ducam, qui Despotæ titulum sibi asserit, & Joannem Ducam Patremsem Syntocratoris nomine insignem, tanquam perturbatores reconciliationis, eamque colentium vexatores. Dabat ad S. Sophiam die Veneris 16 Julii 1277 *indictione quinta.* Nicephorus & Joannes patrem habuerant Michaëlem Comnenum Epiri ac Ætoliæ Despotam, & ex odio reconciliationis contra Imperatorem Michaëlem confurrexerant.

*Gregoras*  
*l. 5. c. 2. n. 4.*  
Nam violentiæ, quas ad eam promovendam exercuit, vehementer exasperarunt animos. Doctiores e schismaticis perstiterunt in sententia, & Imperatoris conatibus pertinaciter repugnarunt. Sed parvo erant numero. Multitudo ac populus rudis novitatum semper amans ciliis induiti se varias in regiones, quæ Imperatorem non agnoscebant, disperse-  
runt; in Moream, Achajam, Thessaliam, Colchidem. Errabant huc illuc separati a Græcis reliquis, & inter se ipsos divisi. Diversa sibi nomina tribuebant:  
Patriar-

Patriarchæ Arsenii sectatores se alii, alii Sæcul. XIII.  
 affectas Josephi se dicebant, vel alias per A. C. 1277.  
 larvas se decipiebant, & alios. Quidam  
 etiam oracula per urbes pagosque spar-  
 gebant, veluti si visiones habuissent: id  
 agebant lucri gratia, quod eos hoc in sta-  
 tu detinebat.

## §. XI.

*Nicolaus III. Papa.*

Imperatoris Michaëlis Legati expecta-  
 bant Papæ novi electionem, quæ non-  
 nisi die S. Catharinæ 25. Nov. an. 1277  
 facta cecidit in Joannem Cajetanum Ro-  
 manum ex Ursinorum profapia. Cardina-  
 lem Diaconum tit. S. Nicolai, unde sibi  
 nomen Nicolai III assumpsit. S. Fran-  
 ciscus, cui eum etiamnum puerum pater  
 suus, qui tertii erat Ordinis, stiterat, præ-  
 dixit, illum, etsi vestem ipsius gesturus  
 non esset, Ordinis tamen sui tutorem,  
 ac denique orbis arbitrum fore. In Ec-  
 clesiis Eboracensi, Sueffionensi, & Lau-  
 dunensi beneficia habuit. A Papa In-  
 nocentio IV Cardinalis creatus, Fratrum  
 Minorum defensorem egit. Eximia cor-  
 poris specie tamque compositis erat mo-  
 ribus, ut eum multi Modestum appella-  
 rent: ejus prudentia quoque & in re-  
 sponis suis maturitas laudabatur. In  
 summum electus Pontificem, relicto bre-

*Jord. ap.  
Rayn. n. 53.*

*Bern. Guid.  
Chr. Ptol.  
Luc.*

*n. 55.*